

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 14: De confessione (11)

Idem (Gregorius):

Vere confessionis indicia sunt,
si cum quisque peccatorem se dicit,
id de se dicenti etiam alteri non contradicit.

Superbie quippe vitium est,
quod dum se quisque fateri quasi sponte dignatur,
iniquum hoc de se ab aliis dici dedignatur.
Unde summopere curandum est ut mala que fecimus,
et sponte fateamur, et hec aliis arguentibus non negemus.

Qua in re indicia uerae confessionis sunt,
si cum quisque se peccatorem dicit,
id de se dicenti etiam alteri non contradicit.
Nam quia scriptum est: Iustus in principio accusator est sui,
non magis peccator, sed iustus uideri appetit,
cum peccatorem se quisque nullo arguente confitetur,
sed confessionis ueritatem probat,
cum alter malum quod fecimus increpat.

Quod si superbe defendimus,
liquet quia peccatores nos ex nobis fecte dicebamus.
→ Vnde summopere curandum est ut mala quae fecimus,
et sponte fateamur, et haec aliis arguentibus non negemus.
Superbiae quippe uitium est
ut quod de se fateri quisque quasi sua sponte dignatur,
hoc sibi dici ab aliis dedignetur.

←

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 22.15 (CCSL 143A,
M. Adriaen ed., pp.1115-16, ll.84-95).